D... ...nus.
...adisl. In
...ai Casimi-
...rian...
typis Coll. mai Univ. Crac. 1776.

In Laudem
DIVI STANISLAI CASIMIRITANI

Primo, in Regia Scientiarum Universitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ PROFESSORIS, tandem Amplissimi CANONICORUM LATERANENSIUM S. AUGUSTINI Cætus PROFESSI ac PRESBYTERI.

ORATIO.

Quâ
suæ recurrenti annuæ celebritati
In Peraugustis Sacratissimi Corporis Casimiriæ ad Cracoviam Aedibus.

M. JOANNES BAPTISTA VLADISLAUS
SNIADECKI
AA. LL. Philosophiæ Doctor, Matheseos Professor,
Pro more Academico
Annô Aeræ vulgaris 1776. Die 3tia Maji publicè

PROLUSIT.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

REVERENDISSIMO
PERILLUSTRI SPECTATISSIMO VIRO
DOMINO
D. JOANNI CANTIO DONATIANO
DOBRZANSKI
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI.
LATERANENSIUM per Minorem Poloniam & Magnum Ducatum Lithvaniæ CANONICORUM
PRÆPOSITO
ac
PRÆLATO GENERALI
De Literis & Instituto suo Sacerrimo
MERITISSIMO
FAVENTISSIMO MECÆNATI
tum
PERILLUSTRIBUS & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS.
Ejusdem Candidissimi Coetus

PRÆ.

PRÆPOSITIS
VIRIS OPTIMIS
SUIS TITULIS ac MERITIS
CONSPICUIS.
atque
TOTI INTEGERRIMO AMPLISSIMOq;
AD COMITIA GENERALIA
In Primariam Casimiriensem Canoniam
CONGREGATO CAPITULO
PATRONIS DIGNISSIMIS.

Ode Jambica.

O congregata de remotis sedibus
Cohors Lateranensium!
Vestri Parentis, Optimique Præsulis
Leges volentes exequi,
Nil cujus hæsit pectori unquam firmius
Quàm Vos tueri prosperos,
Rebûsque florentes videre maximìs
Pro Gentis hujus gloria.
Florere verò nulla regna sueverant
Nisi subacta legibûs. Ar-

Arcent malorum quæ ſuperbos impetus.
Bonos probosque munerant.
At nil ſacrata jura proſunt Publico
Niſi innoventur ſæpiùs.
Niſique mandentur frequenter ſubditis,
Suum rigorem hi poſthabent.
Idcirco Vos coëgit huc Vir anxius
Præclara Clauſtri Lumina!
Opem daretis in quibusvis arduis
Ut diſciplina floreat.
Omnis redundat unde ſplendor gloriæ
In Vos Jeſuque vineam!
Ne deleatur Veſtra cura fervida, hac
Oblivione temporum;
Sciantque cara poſterorum tempora
Stetiſſe Vos pro Legibus,
Eſt digna virtus inſeratur marmori
Notetur aurô tum cedrô.
Hoc fine Cœleſtis STANISLAI exaro
Laudes, Polo quem protulit.
Relligio Veſtra, moribus perinclyta
Famâq; celebris, & ferax
Magiſtra Sanctorum Virorum, quos Domus
Superna jam complectitur.
Sit teſtis iſthæc qualibet perennior
Cedrô, vel ære pagina.
Vos velle ſemper contineri legibûs
Et Patrios greſſus ſequi.

NUNCUPATORIA

Equidem Causæ ipsius ratione adduci vix potuissem; Orationem ut isthanc (quam timidè admodùm verecundèque juris publici facio) Auspice alio, præterquàm Gravissimis Vestris Nominibus præfulcirem atque honestarem. Agitur enim hìc Causa honorificentissima Gloriæ STANISLAI, *qua Vestra etiam est vel ideo, quod eâdem Sacerrimâ Familiâ Superis editus, omnia præclarè gestorum ornamenta, Cœtui Vestro Candidissimo, hæreditaria voluerit. Novi autem haud obscurè, priscos illos Romanos Heroum suorum rectè factis, aliæ ut gentes triumpharent, non passos; atque ideo omnem posteritatis memoriam existimationemque sustinere: quod ipsum paulò æquiùs de Vestris* VIRI AMPLISSIMI *Studiis suspicabar, non temerè quidem, sed quia de Virtutis Prærogativa contendendi, ambitionem Vobis inesse non minùs Superis gratissimam quàm mortalibus gloriosam. Accedit inquilina Vobis cum Literatis necessitudo, cujus illiciô atque hortatu levidensem isthanc operam, gravitate Vestra patrociniôque insignivi, constaret ut liquidò, Integerrimo* Lateranensium *Collegio, propter arctissimam cum*

Erudi-

Eruditis consvetudinem (quam Principes etiam Viri ac Proceres constanter coluerunt & colere etiamnum non dubitant) primas semper deferri, æquo jure debere.

Diis autem propitiis factum est, quòd cùm affinitas materiæ, ad infinitam ex præclaris facinoribus STANISLAI Gloriam *declarandam, Ordinis quoque Vestri totius* Gloriæ *militandi amplissimæ, Provinciam obtulerit, totius pariter Vestri Sacerrimi Collegii, ad eam vulgandam atque in sinu benevolentiæ reponendam, præsidium patrociniumque affulgeret. Cujus hospitalitatis beneficiô effecistis, ut* STANISLAI *Vestraque amplissimæ gloriæ causam sustinendo, ego ipse glorier vehementer, tanti Cœtus patrociniô præsidiôque muniri, qui non modò in Patriam ac Ecclesiam meritis Clarissimus, sed Sapientiæ quoque ac Virtutis domicilium feracissimum audit. Nam sive ad Instituti Vestri gloriosa incunabula respiciam? jam tertium decimum Sæculum Militiæ Vestræ sub Christi Stipendiis promerita numerat, vetustatemque Ordinis non modo Fidelitatis constantiâ, sed facinorum etiam magnitudine commendat. Si in splendidissimum* Lateranensium *nomen mentem conjicio? novi primùm illud à Celeberrima* Lateranorum *Consulum Familia, Romanis principe loco habitum, magnificentissimum Stirpis Nobilissimæ Palatium augusto isthoc nomine consignatum, à Constantino Magno post fusum armis Maxentium Pontifici Silvestro oblatum fuisse, ex monumentis Historiarum didici, in augustissimas tandem* SALVATORIS *Ædes devotum, Divinis Arîs, Sacroque isthoc nomine decorari meruisse. Cùm verò amplissimæ istius Basilicæ moderamini Petri Sedes Integerimam Vestram Familiam præfecisset, jure quodam hæreditario tanta nominis excellentia Sacerrimo Ordini Vestrûm universo honorificentissimè concesserat, & Celeberrimum Romanis* Lateranensium *nomen, amplissimæ meritis ac recte factis*

Vestræ

Vestræ celebritati præluserat. Atque hic quis quæso tam ingeniô atque naturâ tardus, cui in mentem statim non veniat, quantîs benemeritîs, quanta existimatione quantâque integritatis famâ Cætum Vestrum Candidissimum conspicuum esse oportebat, ut Summorum Pontificum æstimationem amoremque mereretur? Sanet loquar hic ego pace Vestra paulò liberiùs AMPLISSIMI VIRI! *tam gravissima rei causam, Principis scilicet Romæ Urbis atque adeo Orbis totius primariæ & Splendidissimæ Domus habenas, Cætui Vestro à Providētissimo Pontifice Eugenio IV. nuspiam comitti potuisse: nisi universa ornamentorū meritorumquê genera, in Familiam Vestram Sacerrimam conspirâssent, quæ Vos non modò tanti Christianæ Reipublicæ Capitis benevolentiâ illustres, tantæ Dignitatis Authoritatisque Splendore dignos verùm etiam tanti Nominis hæredes, Pontificiis suîs literîs iterum iterumque confirmatos, supra cæteros fidelium mortaliumquê Cœtus extulisset. Non est igitur quod mirentur cuncti, Sacerrimam Lateranensem Militiam inter cætera dicatorum Deo hominum Concilia, in amplissimo honoris gradu collocatam: cùm eam uberrimîs quoque promeritorum suffragiîs in eam Dignitatis sedem evectam, æquitato ipsa comperiant. Nimirum: fuit Integerrimo Ordini Vestro* Gravissimi Viri! *ea divinitus adjuncta fortuna, ut, cùm se publicis Christianæ Reipublicæ necessitatibus impendisset; hoc unum sollicitè provideret, ne ulla in parte, Virorum rerum agendarum dexteritate spectatorum, munus à Vobis unquam desideraretur. Hæc igitur virtutis Vestræ existimatio effecit, ut Summorum Christianæ Religionis Antistitum favoribûs aucta, apud Principes quoque & Optimates gratiâ valeret plurimum.*

Quid enim dicam de immortalî semper apud Polonos memoriâ colendo Principe VLADISLAO JAGELLONE *qui Gentem nostram cousque beatam, firmissimîsque Religionis sacrosanctæ præsidiîs instructam, minimè reputabat: donec Cætum Vestrum Amplissimum non modo ad Fidei Romanæ*

integri-

integritatem & incrementum, sed etiam Patriæ universæ ornamentum ac felicitatem ex Glacensi Cænobio in Poloniam induxerit, augustissimique hujus Casimiriensis Sacrarii Moderatores, Sacrorumque Ministros præfecerit. Quibûs verò tandem in Patriam ac Religionem meritîs Cætus Vester candidissimus splendesceret, non est difficile ac obscurum intelligere singulis, ex tanta Collegiorum Vestrorum frequentia, quæ Principum in Vos Virorum munificentiam amoremque evidentiùs loquuntur, ex tantis Privilegiorum prærogativis Sacerrimo Ordini, primisque Vestris Moderatoribus indultis, quæ ingentem de Vobis Procerum fuisse existimationem significant, ex tantis in Vos Gravissimorum Virorum studiis, quæ Vos ad Pietatis Religionisq; Officia indole quadam veterîqve institutô paratissimos; ac dotibûs iis, quas natura benignior, fortuna liberalior, virtus denique excellentior in mortales distribuit, ornatissimos spectatissimosque prædicant. Quid? si meritorum Vestrorum magnitudinem ex maturis pietatis sapientiæque fructibus metiendam putarem? injurius potiùs, quàm gloriæ Vestræ Studiosus ponderator viderer, qui notissima singulis inconditè occinerem, quasi ea nondum universis innotuisse dubitarem. Cæterùm quàm non immerito suum Vobis Patria ac Christiana Respublica ornamentum præsidiumque in STANISLAO *debeat, istud ex postrema præconiorum suorum parte (nisi me meus fallat amor) consequi luculenter licebit, atque evolvere, Sacerrimum Lateranensium Canonicorum Cætum, ad istiusmodi gloriæ existimationisque fastigium pervenisse, ad quod non fortuna & favor, sed ipsa duntaxat numerîs omnibûs absoluta virtus, animique excelsi industria aspirare ac eluctari possit.*

Quæ cùm ita sint, eccur igitur in tanto beneficio Vestro mihi non magnopere complaceam? eos nimirum lucubrationis meæ Auspices nactus, quorùm & Dignitas, & virtutis excellentia ita ad meæ opellæ pondus commendatio-

mendationemque faciunt; ut, majusné mihi decus à gravissimis Vestris Nominibus, num ab excelso raræ virtutis splendore accessisse gratuler? ignorem planè: Istud unum mihi compertum vehementer exulto, quòd, quidquid Nuncupatores suis in Patronis authoritatis ornamentique requirunt, istud ego, modò quodam excellentiori in Vestra gloria virtuteque possideam.

Quoties enim cogitationem animumque subit Tua PRÆLATE DIGNISSIME *atque* Lateranensium Canonicorum Moderator Gravissime *Dignitas, toties pudor quidam ac verecundia oculos vultumque circumstant, tantillum scilicet ingenii statum Tuæ Authoritatis fulgore illustrari, quæ ad summæ etiam Sapientiæ clarissima monumenta tuenda & decoranda perabunde sufficit.*

Qua enim non modo Authoritatis sed & excelsarum dotum præstantiâ Te circumfulgere putem quem ad tam nobilissimi celeberrimique Cætus imperium evectum altè reverendo, cùm summæ nonnisi virtuti ac prudentiæ solemne id esse sciam: Te igitur amplissimis animi & corporis ornamentis promotum suspicio? Cæterùm recreat me ac sublevat spectata in Te Vir Præstantissime *comitas ac benevolentia, quam cùm omnes in Te admirari, tum ii præsertim, qui in literario pulvere desudant, Jure quasi suo postulare videntur. Non equidem mihi dubium est atque abstrusum, tantum in honestandis Literatorum operibus splendorem Authoritatis Tuæ valere, nihil ut tam leve sit atque minutum, quod non Tuæ statim Nominis dignitate crescat, & suam quodammodo supra naturam efferatur. Quod ego tametsi altô silentiô venerarer, loquuntur nihilominus istud numerô copiosa, argumentô pulcherrima Eruditorum opera, quibus sub auspicatissimo Tuo Nomine lucem aspicere indulsisti. Unde liquet; omnem Literatorum industriam, atque ipsas optimas disciplinas Dignitati Tuæ vectigales extitisse: & si suum Romani*

MECÆNATEM *propter summam in Literas munificentiam hereditariis omnium sæculorum laudibûs apud posteros immortalem effecerunt: Te quoque beneficii, amore, humanitateque in Literas, cultissima hac ætate conspicuum, pulcherrimis Scientiarum monumentis, tanquam digniori aurô cedrôque inscriptum, Eruditi nunquam intermoritura posteritatis memoriæ extollendum transmittunt. Ita enim vitam beatam vivas, atque ad ipsam statim præclari Nominis Tui recordationem Vir ille in omnium animis cogitationibusque obverseris: cui nihil peregrinum, nisi, quod cum vitio conjunctum, in quo & humanitas cum Authoritate, & affabilitas cum gravitate, & Virtus cum Sapientia marte æquissimo certat. Nam si Supremam Lateranensium Canonicorum Dignitatem (quam non tam communi Sacerrimi Cœtus consensu, quàm potius amplissimorum meritorum suffragiô capessisti) in Te revereor; non possum planè non suspicere, effusa totius amplissimi Lateranensium Collegii in Te amoris pietatisque studia, quibûs contendunt singuli, non tam Principis sui ac Moderatoris authoritatem: quam lenissimi Patris in se benignitatem, facere universis perspectam atque exploratam: Quid vero de Tuis in Cœlites totamque Sacerrimam Tuam Familiam benemerendi desideriis sentiri putem? quæ non modo omnium vocibûs lingvisque celebrantur, sed muta quoque Sacrorum parietum significatione, in omnium oculos animosque incurrunt. Quid enim Splendor ille ac Majestas Divini Sacrarii? quid Aræ, magnificâ fulgentes suppellectili, quid Sacrum* STANISLAI *Bustum ornatissimo apparatu superbum? quàm ut, omnem si literarum ex hominum memoria aboleri contingeret testificationem: tacita illa & inanima signa, te munificentissimum sui Patronum recognoscerent: & Tua in Deum, Ordinemque Integerrimum amplissima promerita, non tam loquendo, quàm significando profiterentur. Istud ego medius fidius Tuæ modestiæ conscius, recensere metuerem, nisi hæc omnia Rectè gestorum Tuorum ornamenta ita essent singulis manifesta, pu-*

sta, pu-

sta, publicoque Theathro proposita, ut difficiliùs malevoli vitiô, qui ea non laudet: quàm assentatoris qui laudet suspicione, carere possit.

Hi sunt igitur Vir Spectatissime! *Sapientiæ Virtutisque Tuæ fructus uberrimi, quos omnes licèt pleno ore semper commendent, nihil tamen de Te dicere possunt tam amplum atque magnificum, quod non facinorum Tuorum magnitudine copiâque superetur. Ergo æqui bonique facies, hoc publicæ meæ in Te, Tuumque Cœtum Integerrimum æstimationis argumentum. Frugem ego incredibilis benignitatis Tuæ hanc sentiam maximam, quod istius Viri patrociniô gaudere merui, quem propter immortalia promeritorum genera, naturâ nonnisi mortalem fas esset nominare.*

Vosque Viri Ornatissimi *quotquot in Comitiis istis amplissimis ad capienda de Ordinis Vestri integritate saluberrima consilia convocatos veneror, Principis Vestri benignitatis æmulatores, admittite istud* STANISLAI *Vestrique Cœtus Sacerrimi gloriæ, gratique meæ in Vos voluntatis indicium ac monumentum! non placida quidem dicendi Svavitate (Virtutis enim non ingenii laudem quæsivi) sed beneficiis* STANISLAI, *Vestrisque promeritis commendatissimum. Mole sua perexiguum est, sed argumentô magnum; quod vel ideo benignô ad vos superciliô venire patieminor, quia Vestrum est: patrociniô scilicet Vestrô munitum, firmatum auctoritate, totiusque Vestri Sacerrimi Concilii decoribus auctum.*

Ita Deus Immortalis Vestris Viri Amplissimi *felicissimè votis honoribusque prospiciat, atque Vos totius Sacerrimæ Familiæ Vestræ gloriæ ornamentoque impræsentiarum consulitis! Teque* PRÆLATE DIGNISSIME Vir Præstantissime! (*Cujus providum ac solers moderamen florentissi-*

mam hanc Virorum Coronam ad istiusmodi comitium benignissimo nutu accivit) locupletissimis Cælorum muneribus cumulatum, succrescentem indies ex Sapientissimis tantorum Virorum consultis, Cœtus Tui amplissimi splendorem, ad longa sæculorum lustra, Divinum fortunatissimè Numen faciat contueri. Dabam Cracoviæ Anno 1776. XVII. Kalendas Augusti.

REVERENDISSIMÆ
PERILLUSTRIS DOMINATIONIS VESTRÆ
MECÆNATIS DIGNISSIMI
atque
TOTIUS ORNATISSIMI CAPITULI

devinctissimus Cultor.

A. O.

ORATIO

Præclara STANISLAI CASIMIRITANI facinora, ingenti existimationis magnitudine patrios Regni fines prætergressa, alieno etiam sub sole in Latii nimirum Galliarumque luce amplissimos integritatis suæ Præcones repererunt AA. in hoc verò peraugusto Divi Cælitumque Sacrario, post tot callidissimos Oratores, (quorum solemnibûs verbîs sacri isti parietes personabant,) me tandem celebritate hodierna, in florentissima Vestrûm concione ita voluptate admirationeque conficiunt, ut ambigam etiamnum severiùs magisnè mihi in tam pulcherrimo dicendi genere gestiendum, aut in tanta prodigiorum potiùs quàm rectegestorum Viri Sanctissimi excellentia stupescendum? Ecquis enim lætitiîs omnibûs non exultet, arcanô fati cujusdam beneficiô illius sibi Exedræ splendorem concessisse, ex qua & Vestræ Viri Gravissimi Auctoritatis aures expectationesque pendeant, & sapientiæ Vestræ animi judiciaque teneantur? Ecquis istiusmodi

orandi

orandi Provinciæ non triumphet proludere, cujus illuſtre argumentum STANISLAUS, ſupremæ etiam eruditionis, vocibûs atque linguîs meruit prægu-ſtari? aut cujus vel ipſo delibato nomine, incredibilis ſanctimoniæ ſimulacrum animis audientium occurrit.

Equidem, fingite Vobis pro fæcundo quodam mentium vigore AA. Puerum, qui priùs Cœlo quàm Mundo reſpirare cæperit, qui priusquàm ſui juris eſſet, ſe totum Diis Immortalibus manciparet, qui nondum tenellîs pedibûs niti valuit; & jam Cœleſtis Magiſtri veſtigia ſectaretur. Efformate in Adoleſcente, tantam vitæ caſtigatæ verecundiam; ad omnem ut ille hiſtrionum licentiam, ad mulcentem ſirenarum cantum ſurdus; quem nec vitæ ſolutioris libido capiat, neque ſanguinis ebullientis æſtus, ad inſtituti liberioris amplexum accendat, neque ætatis impetus, ad lenocinii vel petulantiæ familiaritatem invitet. Siſtiſte in animis Juvenem, in cujus nihil vel manibus torvum, vel oculis procax, vel geſtu inverecundum; cujus tota corporis ſpecies imago quædam mentis, internæque probitatis index exiſtat. Cogitate Virum, qui faſtiditô rerum Academicarum (quod ex præcelſa eruditione congeſſiſſet) ornamentô, propter ſublimis ſanctimoniæ ſplendorem recondendum religioſas ſe in umbras conjiciat, qui in Sacræ Militiæ

caſtris

caſtris integerrimus, flagitiorum tamen mancipium vocari gaudeat, in ſupremo innocentiæ faſtigio Commilitonum ſuorum probra lætus excipiat, in ſuis ipſe porro ærumnis ludibriisque triumphet?

Sed quid iſta (dicitis tacendo) in homine commentari laboras, quæ in ſummo innocentiæ apice & ſupra mortalitatis ambitionem poſita eſſe novimus? attamen, ita vos meque Dii ament Viri Graviſſimi! atque ego iſta in STANISLAO, ceu in mortalis cujusdam Angeli prototypo notavi! Accedit & verò iſtud, quod cùm primam cogitationem meam ſuſpenſam attonitamque teneret, Vos ſaltem rarum ùt quidpiam ac inſolens reor penſabitis: hominem ſcilicet, cujus maturæ virtuti, nefanda religio aut veriùs ſuperſtitio erat, vel animi tumidiores ſpiritus alere, vel inanis famæ rumuſculos ſtimulosque venari, qui majora quò geſſerit, eò videri abjectior generoſiùs cupiebat, ad eam tamen orbis exiſtimationem deveniſſe, ut, quidquid abſconderet, evidens; quidquid celaret, clarum; quidquid fugeret, capeſſitum, in omnium oculis oribusque verſetur? Quid eſt per Deum Immortalem! hominem Publicô ſubductum, inque Sacræ Familiæ latibulis deliteſcentem, usque eò gloriæ proceſſiſſe; ut ſuæ virtutis præſtantia, neque oblivione præſentium deleri, neque teticentiâ poſterorum uſpiam poterit ſepeliri?

En

En Vobis Virum illum fuisse STANISLAUM! qui Angelis digna faciendo, studiô quodam eluctabatur incredibili inter humanæ sortis quisquilias reputari: qui actum esse cum sua virtute indoluit, si humana existimatione, non hostium convitiis metiretur. Virum inquam illum fuisse STANISLAUM! cuius Sanctimoniæ fama, in vita sua mortua ac sepulta, post mortem ex Sanctissimis Cineribus istis rediviva, tot Gentibus, Provinciis, Urbibus, cum amplissima STANISLAI & Sacerrimi Canonicorum Lateranensium Cætus gloria pervulgatur. Quid ita? quæritis? respondeo: Vos sementem dicendorum accipite! STANISLAUS non suæ, sed Divinæ tantùm *gloriæ* studendo, & *suæ*, & *Divinæ*, *suorumque* infinitè consuluit. *Divinæ*, cùm mortales inter candidissimus vixerit: *suæ* juxta ac *suorum*; cùm ad immortalitatis gaudia integerrimus evolârit.

Ego verò cùm de re tam præclara publicè sinè periculo dicere nequeam, ætate præsertim nostra, in qua, nisi fortè prodigiis similia facienti existimationi suæ licet consulere, duo mihi à Vobis Viri Gravissimi præstari obsecro: alterum ut orationem meam argumenti præstantiâ magnitudineque metiaminor; atque sic, Magnitudo virtutum STANISLAI Orationis humilitatem attollet; alterum ut à me tantùm duntaxat postuletis, quantum ab infantia elocutionis præstari queat: quorum primum, pro Vestra in STANISLAUM pietate, pro sapientia autem Vestra postremum flagitanti concedite.

Naturâ ipsâ comparatum est. AA. ita singulos mortalium animos statim ab ineunte ætate ardore gloriæ æstuare, ut difficile sit aliquem ex præstantissimis etiam Viris reperire, qui præcelsîs facinoribûs conspicuus, non quasi mercedem rerum gestarum gloriam desideret? qui emensus breve istud vitæ mortalis curriculum, non etiam post mortem vivere expetat? qui denique præclara posteritatisque memoriâ digna conatus, non ideo posteritatem omnem ad se pertinere existimet? Hinc profectum est, plurimos venerandæ antiquitatis celeberrimos Viros gloriæ atque immortalitátis studiô abreptos, hos ad comparandam sibi dexteritate, posterorum recordationem vitam suam bellorum aleæ credidisse cum Pompejo, illos, ne nominis sui splendor fatorum obrutus injuriâ, virtuti suæ æternitati commendandæ Homeros reperiat, in sexcenta capitis ultro libenterque prorupisse discrimina cum Achille, âlios propter nomen suum inter sidera amandandum ad monstrorum immanium, ferociam internecione delendam imperterritos extitisse cum Hercule, alios deinceps ut post mortem in cedro & marmore vivant, in Solone sapientiam, in Trajano fortunam, in Aristide justitiam, in Ulysse prudentiam, scita artis vel naturæ calliditate æmulatos fuisse. Inde ventum est, ut eos, cum quorum vita, omnis quoque fama commen-

datioque interiit, non vixisse, sed mortuos in vita fuisse Romanus Orator arbitretur, ut omnes Philosophi, in iis etiam libris quos de contemnenda gloria inscribunt, nomen suum inseruisse meminerint, ut ii, quibus per fatorum necessitatem non ita diu gloriæ insidiari licuit, vitæ suæ curriculum non annorum, sed rectè gestorum serie metiendum commendarent!

Ista mediùs fidiùs cùm cogitatione agitarem frequentiùs, capere consilium non licuit, quî STANSLAUS, tanquam humanæ ambitionis nescius. istiusmodi gloriæ igniculîs haud exarserit, quonam duce & auspice tantum existimationis humanæ ceperit fastidium, ut maximam gloriam reputaret, laudis suæ splendorem mortalium oblivione deleri? demissione? at insusurrat Tullius; non demissi sed levis animi est, justam gloriam, utpote fructum veræ virtutis honestissimum repudiare. Nihilominus tamen humanæ gloriæ contemptorem STANISLAUM universis celeberrimis antiquitatis Viris & gloriosiùs egisse & præclariùs nomini suo consuluisse accipite. Illi nimirum terrena commendatione, quæ longissima licèt, mortalis tamen est, hic Cælesti, quæ immortalis, nullaque temporum vetustate intermoritura, gloriam suam definivit. Illi suæ gloriæ studiosi nomen posteritati hominum commendandum reliquerunt, hic non suæ, sed Di-

vinæ

vinæ; famæ tamen ſuæ magnitudinem æternitati transmisit. Illi denique hominum linguîs, hic hominum Superûmque vocibûs meruit celebrari. Et jure non immerito: excelſi quippe animi eſt; præclara quam geſſeris, gloriam faſtidire, quæ tamen ùt umbra corpus, comitatur virtutem. At enim collocabat quoque STANISLAUS rectegeſtorum ſuorum mercedem in ampliſſimo laudis ſplendore, ſed cujus? Dei Immortalis! cujus gloriæ incrementum inter contemptum etiam abjectionemque, ampliſſimam exiſtimationis ſuæ gloriam reputabat.

Agedum, jam Divinæ gloriæ ardentiſſimum ſtudium in STANISLAO ſuſpiciamus! Politioribûs ille ſeverioribûſque in Jagellonæo Academo, (qui ſemper optimarum Artium Officina eſt) diſciplinîs excultus, verba illa, quibus Divinus Spiritus eos, qui alios erudiunt ad juſtitiam, beatos, quaſique ſtellas firmamenti in perpetuas æternitates radiaturos pollicetur, ex quo ſanctiſſimas ferire aures ſenſerit, continuò grave illud Academicorum Inſtitutum tanta animi voluptate arripuit, quaſi in eo potiorem ſuæ felicitatis partem poſitam ſuſpicaretur. Acerba docendi Provincia, quòd Divinæ quoque gloriæ acceſſionem reſpiciat, animum STANISLAI ſvaviſſimè titillabat. Ita ille honeſtarum artium ſtudiô inſtitutos adoleſcentes formabat ad ſapientiam, ut ſimul virtuoſos efficeret; ita

naturæ reconditioris arcana juvenibus evolvebat, ut eos simul ad naturæ Authorem diligendum inflammaret, ita Sacræ Scientiæ mysteria explanabat; ut doctrinæ suæ institutioni, exemplô virtutis præludendo, in Magistro sapientissimo, integerrimus Christi Discipulus spectaretur. Tanta ingenii felicitas cùm Cracoviensibus eorumque accolis explorata inclaresceret, suamque admirationem subiret, illius splendorem, ne fortè supra Divinæ gloriæ culmen excresceret, tenebris Religionis involvere in animum induxit STANISLAUS; veriùs loquar: docendi Officium haud fertilem ampliandæ Divinæ gloriæ scaturiginem ratus, nisi quoque acerba vivendi ratio, humanæque æstimationis despicatus eidem adfulgeat, Sacerrimæ Canonicorum Lateranensium Militiæ se Sacramentô devinxit,

Dii boni! quantô exuberantis animi lenociniô Sacra Augustini Castra strenuus Miles petierit! quàm saliente supercilio Mathiæ & Hedvigis Parentum expectationem (in quam illi de unica sobole STANISLAO erigebantur) eluserit! quàm generoso pectore Patrimonii facultatibûs, quas longior Genitorum cura parturiit, ditescere retractârit! quàm denique plaudente vultu superiorum, quinimò parium & infimorum imperia religiosus Tyro obiverit! Auspicanda erant religiosi instituti rudimenta humilitate! abjectissimus! tota corporis species

sive

ſive in nutibus audiundis, ſeu in colloquiis ſerendis ad verecundiam componenda? modeſtiſſimus! in adimplendis aſperis quantumvis officii partibus, tolerantiæ argumenta præſtanda, concoquenda aliorum convitia? patientiſſimus! O te beatam tantô Virô Religionem! o te felicem tantô Divinæ gloriæ ſtudiô STANISLAUM!

Placeat AA. Sanctiſſimum STANISLAI auſteritatis tyrocinium in gemma naſcente demirari. Vixdum aurora ſuperatîs montibûs clementiores terræ radios indulſerit, illa ſe ex maris alveo proripere, Phœbum adventantem ſalutare, expansîs conchîs foecundo ſe rore paſcere, decoris ſui radios diſpergere; ubi verò antelucanas ſolis dapes excepit, nitoris ſui pabulum obtinuit, ſplendidiorem ſolis vultum aſpexit, clausîs undique valvîs, ima maris petere, abdito fulgore deliteſcere, ne impuriorî undâ nævum contrahat, ne inter luctantes æquoris procellas ſuffocetur: Ita omnî gemmâ præſtantior STANISLAUS, ſimulatque Divinæ gloriæ ardorem in ſe augeri, Cœleſtisque Spiritus auram afflare ſibi benigniùs ſenſerit, mox ſe in lucem eruditorum conferre, ſuperni favoris gratiîs irrorari, ſaluberrimæ eruditionis fulgore ſplendeſcere; ubi verò poſt ampliſſimos laboris fructus, ſuæ quoque exiſtimationis nitidius aſtrum illuxit, mox ad latebras Religionis confugere, ſuæ commendatio-

nis

nis odium honorumque contemptum amplecti, ne ſcilicet ſuus ſplendor Divinæ gloriæ lucem offunderet, ne flagrans terrenæ felicitatis ſitis, (quam nec Pyrrho ampliſſimum Spartharum regnum, nec Alexandro univerſus terrarum orbis potuit extingvere) cor STANISLAI faſcinaret.

Atque hìc jam AA. ſentio me Oratione ipſa delapſum ad excelſæ ſanctimoniæ ſplendorem in STANISLAO, qui neque continuô abjectionis ſtudiô abditus, extra religioſa mænia divagatus, accendebat univerſos ad amplectendum vitæ Sanctioris candorem. Equidem ne vivam! ſi ea quæ dixero non ita vera ſunt atque iſtud: Vos impræſentiarum à me, & me à vobis oculîs uſurpari! nempe: excelsâ STANISLAI morum innocentiâ, effrenem vitæ licentiam exulâſſe, candidiſſimo vernantis virginitatis flore impudicæ veneris ſpurcitias ad inferorum Cypridem avolâſſe, raræ humilitatis exemplô, faſtum arrogantiæ ſuaque irritamenta erubuiſſe, Angelicarum dotum invitamentô, agreſtem vitæ petulantiam & impietatem ad morum ingenuitatem rediiſſe caſtigatam.

Negatis? cernite unà mecum patientiam STANISLAI inſulsîs commilitonum probrîs, atque inconditîs convitiîs impugnari. Quid illa? num cum iniquis aggreſſoribus luctatur audaciùs, probra probrîs, convitia convitiîs, ſarcaſmos ſacraſmîs elidit?

dit? absit: num levitatem sociorum redarguit, lingvæ procacitatem asperiùs insectatur? nihil minùs: num mentitam personatamque innocentiæ speciem objicentibus, ad syncerae sanctitatis testimonium Cænobii recessus, suis ululatibûs, & suspiriis resonantes, Coelos & sidera sistit? ne hoc quidem. Ergo inconsulta ista STANISLAI patientia, quæ solutiori impudentiæ fomitem stimulosque adjecit? Ita est inconsulta sanè: iis quippe ludibundis suamque integritatem carpentibus, fatetur STANISLAUS se scelerum poenè receptaculum, vitæ respiriô sanctôquo consortiô indignum, nescio, quas conscientiæ noxas fusis lacrymîs deplorat. Attoniti tantæ virtutis spectaculô malè homines animati! alter in alterum aspectum circumfert, lingvæ volubilitatem erubescunt, ad vitæ melioris frugem exemplô STANISLAI accenduntur, procumbentes ad pedes veniam temeritati implorant, innocentiam, innocentiam se mimica carpendi libidine profanâsse, Deos hominesque testantur! O Te inconsultum STANISLAUM, consultissimæ posteritati imitandum! qui tam miranda virtutis dexteritate oppugnatores innocentiæ Tuæ, commendatores admiratoresque effecisti!

Sinite me hic silentiô premere AA. ardentissimam Divini amoris flammam, quæ ad incruentæ Victimæ sacrificia exæstuans, spectantium ora oculosque

losque tenebat; divinam ambitionem illam, qua magiſtratus cum graviſſimis laboribus animarumque ſalute procuranda conjunctos arripiebat, illum paupertatis amorem, quo Ille ad Divinos favores capeſſendos ſplendidiſſimus eminebat, illud cum CANTIIS, SVETOSLAIS, GEDROYCIIS, LIPNICIIS cæterisque integerrimis Viris ſanctiſſimum conſortium quod STANISLAUM Dei ipſius ſvaviſſimum conſortem effecerat. Quæ ſingula tantum gloriæ Divinæ ſtudium in STANISLAO teſtantur, ut illius ne quidem luculentam imaginem effingere liceat, tantis virtutum charitibûs circumfuſum proponunt, ut quem immortalem in Cœlis hominem reveremur, eum ego mortalem in terris Angelum fuiſſe exiſtimem, tantam denique rectegeſtorum excellentiam loquuntur; ut, ſi fato quodam ſanctimoniæ regulæ eſſent omnes abolitæ, in STANISLAO tanquam vivo prototypo legi potuiſſe videantur!

Quodſi verba mea alio in loco aures veſtras fatigarent AA. quàm intra parietes iſtos, in quibus haud interruptè percrebreſcit gloria STANISLAI, quàm in Urbe illa, quæ natalibus Viri Integerrimi tanquam excellentis famæ prærogativâ illuſtris omnî invidiâ fortiorem STANISLAI laudem debuccinat. non tam hercle ſecundìs ventìs mea exultaret Oratio. Ita enim perappoſitè, neſcio quo ſiderum conſenſu & conjuratione factum eſt, ut ad nobilitandam

Viri Clarissimi juxta ac Integerrimi nominis commendationem (quam non ullo tempore dimittendam, sed cum omni immortalitate adæquandam solius Divinæ gloriæ studiô sibi comparavit,) neque à me quidquam tentari excellentius, neque à Vobis firmiùs optari expediat. Adest quippe & verò non ita longè adest *Petrina* Casimiriæ Ædes, propter atrocissimam Cracoviensium Præsulis STANISLAI necem haud vobis omninò retrusa, quam ad delibandam infinitæ gloriæ STANISLAI nostri notionem, petite unà mecum Viri Gravissimi, & ne filum precationum abrumpere contingat, paulò longiùs STANISLAUM Divina solventem pensa inspectemus. Deus Immortalis! nixus pedibûs ad madidam cruore Pontificis Aram, oculîs humi defixîs, conjunctîs ad pectus manibûs, in tam svaves mentis ruit ardores, ut non hominem, sed in homine spirantem Seraphinum jurares! cùm tandem oculos in Cœlum sublimiùs tolleret, ruptîs quasi templi culminibûs, Reparatoris nostri Virgo simul ac Genitrix, frequentissimo Cœlestium Internunciorum stipata agmine cum cruenta illa Boleslai victima Sanctissimo Pontifice oculis STANISLAI oberrat -- Gaudeo (vocem Mariæ obstupescite,) gaudeo Fili mi STANISLAE! de non intermisso in Me, Meamque Prolem & Tutorem Tuum, Antistitem isthunc Pietatis studio, cujus exercitium

continuum Cœleſtium Tibi voluptatum torrentem, ſempiternamque gloriam conciliavit! Ad vocis iſtius ſonitum, tanto in Cœlites amore STANISLAUS excandeſcit; ut loci, vitæ mortalis haud conſcius ad Cœleſtes delicias ſe raptum exiſtimet, anhelus Spiritus tanto in Mariam ardore furit, ut exanimem ſtatuam crederetis, niſi vitam ſuſpiria, flagrantesque gemitus eô inſciô elapſi proderent.

Quid multa? juverit exitum Orationis ad mortis STANISLAI confinia accedere. Sed quid eſt per ſanctam Fidem! quòd luctantem cum natura STANISLAUM rurſus Servatoris ipſius viſione recreari conſpicio! En ſuaviſſimus iſthic Angelorum Hoſpes, bono animo eſſe STANISLAUM jubet, pro ingenti flagrantiſſimoque ſuæ gloriæ ſtudio, Regiam illam Cœleſtem, Mentium Beatarum Concilium, poſt aliquot clepſydræ menſuras; nominis vero perpetuam æternitatem, Divinis verbis STANISLAO pollicetur! Prô ſæculis omnibus ſuſpiciendum ſpectaculum! quo STANISLAUS tanquam infinitis perfuſus gaudiis, Cœleſtiumque rerum deliciis immerſus, nonniſi immani tædiô ad mortalitatis exitum, ad prolixius cum Deo Homine colloquium ſuſpirabat.

Præſtat AA. à vita STANISLAI diſcedere, Cujus continuas calamitates Divinô ſolatiô ſublevatas, morum pluſquam Angelicam innocentiam, Servatoris, ſuæque Matris oraculô ſtabilitam, nominis

gloriam

gloriam non dico in Cœlis, ſed in terris etiam ſempiternam, rerum omnium Molitore Obſide datam ſignificatamque accepiſtis. Poſt fata glorioſum STANISLAUM vel unica cogitatione attingite! Vulgavit fama Integerrimum Virum, vitam mortalem cum immortali commutâſse, & ecce deliteſcens illa in Cœnobii angulis vitæ integritas, tanquam Sabæa meſſis univerſas Civitatis partes pervagatur, crepat in Provinciis ſanctitas, morum innocentia in Urbibus reſonat, gloriæ Divinæ ſtudium omnium linguas ſermonesque occupat. Excedit Patriis limitibûs ampliſſima gloria STANISLAI, virtutum candor exterarum gentium pennas acuit, magnitudo facinorum vindices veritatis faſtos inſtruit, admiranda prodigia, (quorum numerum vix miryadibûs definire par eſſet) ingentem Ordinum concurſum ad Ædis iſtius penetralia accerſunt. Quorum alii Viro Integerrimo ſalutem commendare, alii patrocinium implorare, alii ſacris è Cineribus quidpiam Reliquiarum prehendere, alii - . - - - Sed heus quo me rapis Gloria STANISLAI! jamjam gratulare tibi ampliſſimum Virorum Cœtum, juventutis iſtius florem, ſobriè de te ſapere, meæque calculum ſententiæ adjicere. Quodſi verò de infinita pœnè hac in terris gloria anceps quiſpiam dubitat, per me Teque Vir Sanctiſſime liceat! ſed ſimul illa vultum Tuum referentia au-

rea argenteaque nummismata, tumulum isthunc sanctissimis Cineribus suisque ornamentis splendidum, Aras Tuo Nomini positas, festos Tuo Honori institutos dies, publicas hominum venerationes, tanquam totidem esse Tuæ gloriæ monumenta dubitet.

Ut ex rectegestis STANISLAI illustribus honorificentissimam in Superos Seque laudis amplitudinem profluxisse attonitus suspiciam; longè nihilominus abest, istiusmodi finibûs gloriam STANISLAI ita definiri: ut torrente uberrimo in candidissimum Lateranensium Canonicorum Cœtum ejusdem prærogativam ambigam derivari. Accessit equidem vetustissimo juxta ac in Rempublicam Christianam meritis clarissimo Instituto huic, tantum ex STANISLAO ornamenti ac decoris, ut hoc solum, ad illius splendorem in nepotum animis nobilitandum, Ordinisque sanctitatem Superis commendandam sufficere luculentissimè videatur. Nam quid est amabo, quod Sacerrimæ Familiæ pietatem in Cœlites feliciùs adumbret, quàm sanctissimis Instituti legibus ita obsecundare, ut illud Divino Numini carissimum universo etiam terrarum Orbi compertum exploratumque habeatur? Quid est, quod Religionis integritatem manifestet augustiùs, quàm Patris Conditorisque sui eximia facinora, tantâ solertiâ æmulari, ut similes virtute Filios

Divorum

Divorum Domicilio consortioque adsciscat? Quid denique intaminatum Fidei Candorem religiosis in Cœtibus Ecclesiæ testetur evidentiùs, quàm ab illis tanta sanctitatis suæ præsidia pignorari, ut eorum adminiculô, hostium infestissimorum furibundos assultus, non modò fortissimè sustineat, sed & gloriosissimè frangat penitusquê convellat. Magnifica isthæc singula, quemadmodum mihi à Vobis negatum iri neutiquam confido, ita omnia à præclarè gestis STANISLAI Lateranensem Religionem repetere vendicareque debere jure merito affirmandum.

Quod ne ad causam à me præsentem temerè confingi puteris, ponite Vobis ob oculos rectefactorum STANISLAI excellentiam, â primis suis incunabulis ad hæc usque tempora plenis semper faucibûs decantari solitam, nullâ sæculorum injuriâ obliterandam, quinimò quoquomagis in universas Terrarum gentes exundantem, illam profectò à nemine mortalium supra Cœlos ipsos extolli ac celebrari reperitis quin Sacram AUGUSTINI Militiam sanctitatis altricem, Matremque carissimæ Deo sobolis identidem deprædicent? Revolvite immortales præcones integritatisque STANISLAI debuccinatores fastos, plena elogiorum lustrate volumina, in his, quodsi ita Viri Integerrimi præconia cohonestari notabitis, quin Candidissimam

mam Lateranensem Religionem ad exactam illam Conditoris sui Hipponensium Præsulis vitæ normam accedere, spectatæ virtutis in Cœlites Præde Obsideque STANISLAO illustrem percepent, per Vobis cuncta æquitatis jura licebit me criminis religionisque damnare. Jam si paulò altiùs mentem in Cœlos erigamus, in Divinam scilicet illam spirituum Sedem splendidissimam, cogitari mediùs fidiùs vix possunt illa Divorum ex suo Consorte, STANISLAO tripudia, quin Sacerrimum Lateranensium Canonicorum Cœtum fructus maturæ probitatis sibi parturire vehementer exultent.

Quid tandem Sponsa Christi Ecclesia? debet ecce ordini huic vetustissimo suum in STANISLAO perfugium; quidquid enim pravarum opinionum, satores, dogmatum impiorum architecti, superstitionis antesignani, contra illius sanctitatem fidelitatemque effutient, objicere sufficiet tot tantaque prodigia, gratissimis Deo precationibûs STANISLAI, Divina virtute in mortalibus ad sacros patrata Cineres, quæ Virum isthunc Integerrimum Cœlesti adoptatum Concilio, atque ex sacrosanctæ Ecclesiæ sinu in societatem Divorum translatum, plusquàm probari debet, testantur. Quodsi jam acerrimi Fidei hostes orthodoxam religionem nostram superstitionis, candorem simplicitatemque temeritatis, veritatem æternam falsitatis, scelerum virtu-

tes,

tes, si sanctitatem impietatis, Divorum venerationem, sacrilegi cultus, per nefas omne hallucinando, condemnent, crimina isthæc universa in eorum errores felicissimè refundemus, si cæteris inconcussis Divinæ Religionis munimentis ac præsidiis adjiciamus STANISLAUM, (quem Supremus Cœli terræque Dominus, carissimæ suæ in terris Sponsæ novissimum decus ac tutamen præfecit) tanquam Virum sanctissimis Catholicorum institutis moribusque præcellentem, ex Sacerrimæ Christi Communionis castris, Cœlitum tandem Deique amicitiæ fœdus iniisse. Palpabunt in STANISLAO; Divinum Numen nova continuò Ecclesiæ suæ adminicula subministrare; ut tela inimicorum faciliùs contundat ac debilitet, sanctitatem integritatemque illius Divinis indiciis prodigiisque fulciri; ut perversas hostium machinationes & odia fortiùs fundat, atque convellat; veritatem disciplinæ tot tantisque suis fructibus indigitari; ut simulata osorum astutia feliciùs corruat, atque contumeliosiùs succumbat. Habebunt itaque in STANISLAO, quidquid Religioni Sacrosanctæ invidere possunt, quod invidendo mirentur, habebunt, quicunque splendorem sanctitatis suæ ferre non possunt, quod probent improbando.

Te mihi adextremum interpellare liceat, tot Cœlestium Civium procreatrix, tot fortissimorum

Heroum

Heroum genitrix, tot pro Religione Romana decertantium Achillium mater olim exteris formidanda nationibus Lechiadum Gens fortissima carissima Patria! quis amabo Tuus de Lateranensium Canonicorum Cœtu candidissimo sensus? vide! quantis sanctitatis Religionisque fructibus maturescat! quantis tui solatiis gaudiisque tesplendeat! quantis ornamentis ac præsidiis ad tuam integritatem circumfulgeat! Habes tuis nutritum uberibus, sacerrimis verò Lateranensium Institutis Cœlesti adoptatum Domicilio novum apud Deum rerum tuarum Protectorem efficacissimum, integritatis tuæ subsidium tutissimum, salutis conservandæ, avitæ dexteritatis, pervetustæ reparandæ gloriæ studiosissimum Precatorem STANISLAUM! Gaude & exulta sanctissima isthac de Lateranensium Canonicorum Integerrimo Ordine suscepta sobole; quam Tibi Superi ad cæterarum gentium invidiam, ad nominis Tui infinitam gloriam adaugendam, ceu gratissimum in tantis calamitatibus solatium & perfugium suggesſêre! Memineris amplissimæ illius gloriæ Tuæ, quam ex geminis celeberrimis trophæis, de Ottomanica scilicet altero, altero de Scythica gente moderante Habenas Regni Casimiro III. reportatis, uberrimam collegisti, felicibûs, atque ideo sempiternâ eâque gratissimâ memoriâ recolendîs precationibûs STANISLAI: Gratu-

lare

lare Tibi de tanto filio atque de tanti Filii Institutore Ordo Lateranensis!

Virtutis enimverò fuerat Stanislai, tam excelsæ integritatis beatitatisque fastigium promeruisse; Majestatis Ecclesiæ, illibatum Communionis suæ membrum immortalitati consecratum, ceu castigatissimum integritatis exemplar, universis sectandum reverendumque proposuisse; felicitatis Patriæ, tantum Superis Civem, tantum incolumitatis Tutorem, Divis suis in consortium Penatibus genuisse; Canonicorum verò Lateranensium existimationis ac gloriæ, non modo tantæ sanctimoniæ societatem coluisse, illius facinora perexcelsa persequi cupidissimè, verùm etiam tantum Christianæ Reipublicæ lumen ac ornamentum, tantum Patriæ munimentum ac præsidium, saluberrimis Instituti sui legibûs formassé, imbuisse, atque Divorum Domicilio gloriosissimè adscivisse.

Quodsi namque solers Homeri ingenium, visque Poëmatis mirifica, universi totius gloriam amplissimam consecuta, Urbes quoque septem illas, quæ de Patriis Viri clarissimi focis arisque contendebant, teste Cicerone gloriosissimas effecerat; quidni numeris omnibûs absoluta, in singulas pænè gentes amplissimè divulgata, Superûmque digna amplexibûs vitæ Stanislai integritas, sacerrimam Lateranensium Canonicorum Familiam,

æquam ut potè sui vendicem ubique honorificentissimam gloriosiùs prædicet atque commendet? Profectò velim tantum mihi dicendi facultatis Boni Cœli largiantur, atque ego istud felicissimè juxta ac firmissimè Vobis persvadeam!

Enimverò videre mihi videor Patriam ipsam ac Ecclesiam meis etiamnum oberrantem oculis, istiusmodi consilium sententiamque probare, cerno animo, Christianam Rempublicam suæ felicitati applaudentem, his Patriam nostram vocibûs adoriri: Si quod solatii genus tua mihi pietate indultum sensi svavissimum o Filia! non impar certè & illud, quod Religiosissimum Lateranensium Collegium tuo sub Sole feliciùs procreavit! ego splendoris maiestatisque meæ incrementum, tu salutis incolumitatisque tuæ præsidium, STANISLAUM apud Deum novissimè possidemus. Adolevit lumen istboc sanctitatis meæ splendidissimum, in Lateranensis Instituti fortunatissimo sinu, pro Sacerrimo isthoc Augustini Cœtu, maturæ in me pietatis, in Te verò immortalium meritorum ubertatis testis integerrimus! Hunc ego Ordinem Candidissimum pro tantis Religionis fructibus amore complectar mirificè, Sponso in Cœlis carissimo suam in me fidem virtutemque commendabo solicitè, vota beare sua, desideriaque lenire efficaciùs non desinam! Tu pro tanta in Te meritorum ac ornamentorum

pul-

pulcherrima meſſe, ſuam integritatem ſartam tectamque efficias; ſplendorem beneficiîs augeas; integritatem poſteris prædicandam imitandamque proponas! ut tantæ Altricem ſanctitatis Lateranenſem Familiam, albîs ceu quadrigîs ad ſolium honoris evectam, in ſede tandem immortalitatis caſtiſſimam collocemus. DIXI.

18

Ad Majorem DEI Gloriam.

Permiſſu

MAGNIFICI & AMPLISSIMI DOMINI

RECTORIS.

tegr
prop
ſem
nor

tor pro criminali delinquentis habendus, & uno intra unum & quinque annos carcere plectendus erit.

CAPUT XXIV

De subsidio delinquentibus præstito.

§ 198

Delicti ejusdem, quo immediatus se auctor obstringit, eos quoque reos habendos esse, [illegible] Sequentibus vero in casibus singularis delicti reum se quoque reddit is, qui delinquenti ope sua adest aut saltem non deest.

[illegible] dolique damni [illegible]
carcer [illegible] mensium irrogatur [illegible]
[illegible] etiam ad decem annos pro[illegible]
[illegible] exasperari poterit. Præ[illegible]
[illegible] fraudulentis [illegible]
to suo [illegible] jusjurandum judicio [illegible]
[illegible] plane [illegible]
[illegible] duri & longioris carceris [illegible]
[illegible]

§ 191

[illegible] §§ 187 & 18[illegible]
[illegible] deficiun[illegible]
[illegible] § 18[illegible]
[illegible] & [illegible]
[illegible] unum annum carceris [illegible]